


ANN. XVIII - FASC. X

MENSE OCTOBRI MCMXXXI

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXX, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-rum 400 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 800, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requiren-dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Octobri MCMXXXI

Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante sol-vendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

DE ELOQUENTIA APOLOGETICA

Ne quis credat me sub hisce verbis in fronte positis novi aliquid lectoribus portendere velle; neve trita scholarum usu, rhetorum praecepsis obsoleta que situ antiquitatis ab Isocrate, Cicerone et Quintilianu ad nuperos elementa tradere. Absit. Quum autem sapientia huius mundi sit animis machinationibus tegere, sensum verbis velare, quae vera sunt falsa ostendere, quae falsa sunt vera demonstrare; quum huius parvae et pravae simul sapientiae disciplina regatur plerumque, civitas et respublicae passim administrentur; quum insuper eloquentia sit sapientiae huius et sacerdos et ministra et interpres, ego illam eloquentiam considerare malo, quae veri et recti famula, et magna cum dignitate praeco, interpres, ministra, vera ceu vera, bona ceu bona ostendat, falsa repellat, commenta dissipet, civitibus populisque sit fax in dubiis, dux in adversis, in omnibus honestatis nuntia et propugnaculum veritatis.

Atque ab huiusmodi eloquentiae cultu, religione, disciplina, et, — cur silebo? — studio modo neglectis, modo contemptis, omne malum difflit in civitates et quaeque pessumdat, quum vel nemo assurgat,

vel assurgens impar sit adversus eos qui, vel parte, vel factione, vel utilitate proposita, ea tuenda suscipiunt, quae contra ius, fas atque decus sunt, et perniciem privatae publicaque rei parant, subverso iustitiae consilio et honestatis. Quae quidem lues — citius seriusque nihil interest — semper tamen in exitu, pestiferos offeret fructus, quia «iustitia elevat gentes», et «miseros facit populos peccatum». At si miseri qui exhibitum suassumque consilium leves ingressi fuerint, quid perspiciendum de iis, qui mali consilii suores extiterint? Manebit eos certe apud subsequentes aetas infamia, dum ipsi apud inferos patrati poenas parricidiiluent, non habituri impunitatem et licentiam sempiternam.

Quae enim auro cupiditatibusque servientes constituerunt, ideo constituerunt, quia veluti commentitia et fabulosa praedicantes quaeque divina, semetipsos quasi Deos adstruxerunt, quibus vita fortunaeque pudorque omnium immolaretrur.

Quamobrem mirari desinamus quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex illis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem

et innocentiam complectantur, neque iis aut praecensis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur, quos dixi, sed alii quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant.

Super omnia igitur qui hac eloquentia ceteris praestare velit orator, probitate floreat eximia necesse est, nihilque habeat in vita, quod, acu expunctum inimico, tabum et saniem dolosa sub cute cogat in medium emicare, quippe nihil magis ridiculum lupo pro incolumitate gregum egregie disserente, nihil foedius homine turpissimo pro moribus purissimis perorante, nihil intolerabilius avaro pro redditis ad assem familiis deprecante et causam coram agente.

Valet igitur multum ad vincendum probari mores, instituta et facta et vitam eorum qui agent causas, et eorum pro quibus, et item improbari adversariorum, animosque eorum, apud quos agitur, conciliari quam maxime ad benevolentiam cum erga oratorem, tum erga rem, pro qua dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, auctoritate vitae sine labe et suspicione praeteritae, rebus gestis, existimatione virtutum, quae facilius ornari possunt si modo sunt, quam fingi si nulla sunt. Fama enim, optimo et perpetuo opere parta, gentium et spectantium et audientium sermone percrebrens, quemdam quasi nimbum circa loquuturum constituit, eloquentemque e suggestu quasi quibusdam radiis et splendoribus ornat, efficitque ut, homine prospecto iam sententia cunctis audituris insedeat nihil ab illo dici posse, nisi quod sanctum sit atque honestum, nisi quod bonum rebus futurum sit privatis et publicis, et plenum consilii sit, plenum prudentiae, plenum rationis.

Cuius rei, ut exemplum aliquod proferam, — maximi enim est in hac re optimorum exemplis uti — illud Catonis priisci nostri memoratum volo; qui ubi pro

acusato diceret, antequam verba ficeret, in animos populi et iudices de illo absolvendo sententia veniebat; nemo enim vel suspicari poterat ab integerrimo Catone pro scelere tuendo, pro fallendis iudicibus, pro populo decipiendo causam fuisse susceptam. Tanti est in oratore vitae commendatio! Quid? Catonianum iudicium vel divino anteponebatur:

Victrix causa Diis placuit; sed victa Catoni!

Atque haec ubi accusatum a scelere vindicaturus accederet; quid si in aliquem adventasset accusaturus? « Qui ad bonos tuendos me ab ineunte adolescentia dedisse tempore nunc atque officio coactus ad accusandum traducor! Atqui adductus sum, Iudices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutoque maiorum, ut onus hoc laboris atque officii non ex meo, sed meorum necessariorum tempore re mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, Iudices, consolatur, quod haec quae videtur esse accusatio, mea, non potius accusatio, sed defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates...», etc. Haec omnia, quae de se asserebat, explorata omnibus et singulis erant perspecta diurna annorum experientia. Conclamatum erat in reum iam, antequam iudices iudicassent, et sententiam protulissent.

Felix ergo qui apologetiae huic eloquentiae manus admovens, tales sibi votum in populo excitaverit: absoluta iuxta sententiam res erit. At uti hac auctoritate potiatur, necesse est antea fundamenta optimorum gestorum in animos omnium coniecerit, reposuerit, altius intulerit; gestorum dixi, non verborum, non vocum inanum, quibus veluti vacuum aes sonans, aut cymbalum tinniens videare. Avertant autem Superi quod illa tibi respondeantur: « Medice, cura te ipsum! »

Verumtamen apologetici oratoris maxima quidem haec est pars, non tamen est rei summa. Oratoriae artis multum, grande fert illa disciplina, illa scientia, illa prudentia, eruditio illa, quae possit recte, atque, ut verbis utar Hieronymi, quaquaversus inoffenso pede transire. Hinc primum et princeps illud Horatii:

*Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deserent hunc, nec lucidus ordo.*

Post haec illa styli et elocutionis iucunditas, illa convenientia verborum, ille accentus loquentis, illa moderatio et temperantia vocis, actionis, vultus, incessus, habenda prae ceteris; brevitas, concinnitas, claritas, distributio, lumina quaedam orationis et faces; nam

*Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit tenet occiditque legendio
Non missura cutem nisi plena crux hirudo.*

Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquerimus, sed eum virum qui sit eius artis antistes, cuius ipsa natura magnam ei facultatem ita deridit, ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videatur; deinde qui possit non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis per hostium tela versari; tum qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subiicere odio civium, supplicioque constringere; innocentiam iudiciorum poena liberare; idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum fraude aliqua in bonos ab ira retrahere et mitigare.

Talis esto apologeticus orator; hi apologetiae eloquentiae numeri. Qui autem se tales praebuerit, eum non cum summis hominibus comparo, sed vere Dei nuncium iudico.

S.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA¹

De pronominibus eleganter addendis.

I. — Redundant saepe dativi personalium « mihi, nobis » et interdum « tibi, vobis », praesertim in vividis interrogationibus, exclamacionibus et apostrophis;² v. g.:

Quid *mihi* Celsus agit? (Hor., *Ep.*, I, 3).
Is *mihi* etiam queritur? (Cic., *Verr.*, II, 1, 60, 155).

Tu *mihi* istius audaciam defendis! (Cic., *Verr.*, III, 213),
Quid *sibi* vult haec oratio? (Cic.).

II. — Ante « quidem », quod sequitur una ex adversativis *sed, tamen, vero, sed tamen*, etc..., saepe redundant personalia, etiam tertiae personae, non solum in nominativo, verum in ceteris quoque casibus;³ v. g.:

Reliqua non *equidem* (= ego quidem) contemno, *sed* plus habent *tamen* spei quam timoris (Cic.).

¹ Cfr. fasc. sup.

² a) Fere non redundant nisi personalia primae et secundae personae, saltem in solata oratione.

b) Huiusmodi dativi usurpantur in locationibus: *hic mihi, hic tibi, at tibi, en tibi, ecce tibi*; v. g.: *Hic mihi* quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat! (SALL., *Cat.*, 52, 11). — *Ecce tibi* advenio.

³ a) Cicero solet dicere « *equidem* » pro « *ego* quidem ».

b) In tercia persona dicitur « *ille quidem* » et « *is quidem* »; v. g.: *Philosophi quidam, minime malii illi quidem*, sed non satis acuti (Cic., *De Off.*, III, 9, 39).

N.B. — Saepe omittitur pronomen tertiae personae; v. g.: *Consules duos, bonos quidem*, sed dumtaxat bonos, amissimus (Cic.).

c) Quando usurpatur pronomen, particulam « *quidem* » semper proxime praecedit, etiamsi non gaudeat sensu praecipuo; v. g.: *Vale, tibique persuade esse te quidem* mihi carissimum (= te carissimum quidem mihi esse), sed multo fore cariorem, si laetabere (Cic.).

d) Possessivum locum tenere potest personalis; v. g.: *Raras tuas* (= a te) *quidem*, *sed* suaves accipio litteras (Cic., *Ep.*, III, 13, 1).

Quod me hortaris, facis amice *tu* quidem, sed mihi videris aliud *tu* honestum iudicare atque ego existem.

III. — Demonstrativa saepe redundare videntur,¹ quae

1^o) aut vocabulum inducunt ac definient;² v. g.:

Caput inventum est in *eo loco* qui est ab haruspicibus demonstratus (Cic., *Div.*, I, 10, 16).

Luna *eam lucem* quam accepit a sole mittit in terras (Cic., *De Or.*, I, 43).

Memini in *eum sermonem illum* incidere qui tum fere multis erat in ore (Cic., *De Am.*, I, 2).

¹ Attamen, hoc modo usurpata, non sunt merus pleonasmus, quia valent sive ad augendam perspicuitatem, sive ad tuendum robur et stylum expressum, sive ad melius manifestandas connexionem et symmetriam inter pronomen antecedens et pronomen relativum.

² a) Praeterea Latini libenter usurpant pronomen personale *is* ad maiorem elocutionis perspicuitatem aut vim; v. g. Reprehendebat Galbam Rutilius, quod *is* Sulpicii filium extulisset (Cic., *De Or.*, I, 63).

b) Quo numerosior fiat oratio, *hic, iste, ille* interdum annexuntur adiectivis *talis, tantus, tantulus*, et particulae *tam* quae adiectivum secum habet. (Cf. *Alma Roma*, fasc. V, anni 1931).

c) *Ille* emphaticus eleganter apponitur personis rebus cognitis ac notis, quas indicare volumus, etsi tempore locove sint remotae, animis tamen legentium vel audientium esse praesentes; v. g.: Quam multos scriptores rerum suarum magnus *ille* Alexander secum habuisse dicitur! (Cic., *Pro Arch.*, 9). — *Illam* pugnam navalem ad Tenedum (Cic., *Pro Mur.*, 15, 33).

N.B. — Saepe pronomen *ille* emphaticum interserunt inter adiectivum et nomen proprium, ne adiectivum nomini proprio adhaereat; v. g.: Sapiens *ille* Socrates. — Fortissimus *ille* Achilles.

d) Demonstrativa congruentia iunguntur eleganter possessivis; v. g.: *Noster hic* Magnus (Cic., *Pro Areh.*, 9). — Quamdiu furor *iste tuus* nos eludet? (Cic., *Cat.*, I, 11).

N.B. — *Ille* emphaticus iungi potest primae et secundae personae; v. g. *Meus ille* discussus (Cic., *Pro domo sua*, 25). — *Tua illa* praeclara in rem publicam merita (Cic., *Ep.*, XI, 12, 1).

Id enim est sapientis: providere (Cic.).

2^o) aut integrum propositionem;¹ v. g.: *Hoc te intelligere volo, per graviter illum esse offensum* (Cic., *Attic.*, I, 10).

Et illud intelligo, Quirites, omnium ora in me conversa esse (Sall.).

Hoc praestamus feris, quod exprimere dicendo sensa possumus (Cic.).

Illud nescio: gratulerne tibi an timeam (Cic.).

Hoc, illud te moneo, te oro atque obtestor, ut.

IV. — Praeterea redundare videntur, ut legentium moveatur attentio,

1^o) *is* quum, genere et numero convenienti;² anteponitur;

a) ante nomen adiectivum quo nova qualitas et inexspectata additur nomini substantivo; v. g.:

¹ a) Etiam adverbia *sic* et *ita* inducere possunt propositionem infinitam; v. g.: *Sic velim putas: nihil hoc posse mihi esse incundius* (Cic.).

b) Huiusmodi pronominibus demonstrativis conjugitur saepe nomen substantivum; v. g.: *Haec benignitas etiam reipublicae utilis est: redimi a servitate captos, locupletari pauperiores* (Cic.).

N.B. — Quandoque demittit pronomen et usurpatur tantummodo substantivum; v. g.: Confirmatur *opinio* barbaris nullum esse in castello praesidium (Cic.).

² a) Ut plurimum, anteponitur coniunctio. Quae tamen quandoque omittitur; v. g.: *Vos*, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, *ii* nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis? (Cic., *Pro Leg. Manil.*, 12, 33).

b) Non raro sequitur *quidem*; v. g.: *Vicit cum una legione, et ea quidem vacillante* (Cic.). — Epicurus una in domo, et *ea quidem* angusta, quam magnos tenuit amicorum greges! (Cic., *De Fin.*, I, 20).

c) Interdum non usurpant *is*, sed 1^o) aut repetunt voces quarum locum teneret; v. g.: *Mediocritas in puniendo placet Peripateticis, et recte placet*, modo ne laudent iracundiam (Cic.). — 2^o) aut usurpant *et quidem* vel *atque*; v. g.: *Est haec philosophiae et quidem pulcherrima pars: agere negotium publicum* (Pl.). — *Nihil est quod Deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo* (Cic.). — *Negotium magnum est navigare, atque in mense quintili* (Cic.).

Unam rem explicabo, *camque maximam* (Cic., *De Fin.*, I, 20, 65).

Animus hominis habet memoriam et eam infinitam rerum innumerabilium (Cic., *Tusc.*, I, 24, 57).

Vincula vero, et ea sempiterna (Cic., *Cat.*, IV, 4).

*Adolescentes aliquot, nec *ii* tenui loco orti* (Tit. Liv., II, 3).

Severitatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam (Cic., *De Sen.*, 18).

b) ante quaecumque vocabula, quibus nova circumstantia, et inexpectata, ut dictum, sententiae annexitur; v. g.:

Totos dies potabatur atque id locis pluribus (Cic., *Phil.*, II, 67).

Doctum hominem (= Crassum), idque a puero (Cic.).

Sub iugum traducti sunt, idque per hostium oculos.

Sic habeto nunquam me a causis et iudicis districtiorem fuisse, atque id anni tempore gravissimo et caloribus maximis (Cic.).

2^o) *idem*, quum duorum quae dicuntur de aliqua re aut persona alterum alteri coniungitur;¹ v. g.:

Quidquid honestum est, idem est utile (Cic., *De Off.*, 2, 3).

Dicitis non omnia deos persecuti, iidem vultis a diis immortalibus hominibus somnia dispertiri.

Quum optimam praestantissimamque naturam dicat esse, negat idem esse in Deo gratiam (Cic., *De Nat. Deor.*, I, 43).

¹ a) Saepe non est necessaria coniunctio. — Quandoque omnino negligenda est; v. g.: *Multi, qui propter victoriae cupiditatem vulnera exceperunt fortiter, idem dolorem morbi ferre non possunt* (Cic.).

b) *Idem* ponitur pro *simul*, si praedicata sint eiusdem generis; pro *tamen*, si sint generis diversi; v. g.: *Vir doctissimus Plato, atque idem (= simul) gravissimus philosophorum* (Cic.). — *Vir fortissimus atque idem (= tamen) tenerimus*.

c) *Idem* praedicatum dupli subiecto convenire, indicatur interdum per *et ipse*; v. g.: *Contra Germanos feliciter et ipse pugnavit* (EUTROP., 8, 7).

Multam operam in *res obscuras* atque difficiles conferunt, *easdemque* non necessarias (Cic., *De Off.*, I, 6).

Est enim et minime inepti hominis et eiusdem etiam faceti (Cic., *Brut.*, 85, 292).

Omnes qui bene, *idem* attice dicunt (Cic.).

V. — Ad augendam vim interrogationis directae, Cicero ei praeponere solet *quid*, interdum *quid vero, quid enim, quid igitur, quid ergo*. — In interrogatione quae sequitur, non occupat primam sedem, particula interrogativa sed aut vox aut propositio praecipua,¹ v. g.:

Quid? Ille Marcus Cato non eloquentia summa fuit?

Quid? Deum etsi oculis non videmus, nonne mente tamen complecti possumus? (Cic.).

Quid vero? Modum statuarum haberi nullum placet? (Cic., *Verr.*, III, 2, 59).

Quid enim? Ad amicosne confugiam? (Cic., *Fam.*, V, 15).

Quid ergo? Iste homo testis relinquitur? (Cic., *De Suppl.*, XL, 105).

VI. — Ad efficacius exprimendam nationem universitatis, Latini eleganter repetunt *omnis* casu diverso, v. g.:

Omnem omnium rerum atque artium scientiam (Cic., *De Or.*, I, 49, 213).

Inter omnes omnium gentium sententia constat (Cic., *De Nat. Deor.*, V, 4, 12).

Omnia omnium adversariorum dicta meminerat (Cic.).

S. Leonardi in Helvetia.
(*Ad proximum numerum*). J. Iss.

¹ a) Tunc particula interrogativa saepe omittitur; v. g.: *Quid? Tu ista permagno aestimas?* (Cic., *De Sign.*, 7, 18).

b) Sequitur saepe non interrogatio, sed exclamatio; v. g.: *Quid? Ceterae virtutes imperatoris quantae et quam multae sunt!* (Cic., *Pro Leg. Manil.*, 18, 96).

CHRISTO REGI TRIUMPHANTI

Ergo adeo stygius regnare impune tyrannus
Perget ovans? illum imperia exercere superba,
Servitio dudum premere atque onerata pudens.

Attere assidue populorum colla catenis?
Ausus dementi pacata lassere bello
Sidera, quin etiam solio scelerata Tonantis
Arma inferre manu, supera deiectus ab arce
Immensam traxit cladem. At non excidit omnis
Scilicet ambiti quondam fiducia regni,
Si sua regnator domitum dat iura per orbem.
Iampridem attollens immani cornua fastu,
Arduus insultat caelo tamidusque minatur:
«Quae tandem in terris aequanda potentia
[nostrae]

Restat adhuc? aut quis mecum concurrere
[certet?]

Iure hominum rerumque Sator, quem noluit
[esse]

Imperii socium magni, me sentiat hostem.
Non haec invalidum gestat male dextera

[sceptrum;

Ille quidem in vacuo sedeat dominator olympo,
Concutiat tonitru nubes, aut fulmine montes
Deiiciat summos (opis argumenta caducae);
Dum sua despiciat per cunctas numina gentes
Contemni, et squalere humiles cultoribus aras.
At nobis, qua terra patet, redduntur honores
Promeritis: surgunt auro flammantia templa,
Supplicis et turbae cumulata altaria donis,
Quae saepe humano placari sanguine gaudent.
Nobis cervicem olim demisere superbam
Assyrius Medusque et fortunatus ab armis
Invictis Makedo: culta aeque ac barbara tellus
Nunc dat tura libens, sacra et sollemnia reddit
Aegyptusque potens et doctis Graecia ludis.
Ipse triumphato rediit cum victor ab orbe,
Celsaque captiva scandit Capitolia pompa,
Exuvias nobis condit Romanus opimas».

H. N.

Haec vomit insanis convicia turgida verbis
Tartareum monstrum: neque enim putat ad-

[fore quondam,

Iniciat qui vincla suo insperata furori.
Attamen humanae gentis miserata labores
Adfuit e caelo Soboles, quae vertere cuncta
In melius possit, solioque exturbet iniquis
Praefidentem animis exultantemque tyran-

[num.

Iam tibi supremum edico nil tale timenti
Instare exitium, miser. En Iesu ut ferit auras
Invictum Nomen cunctis et aeditur oris,
Continuo tua terrori, ignotaque repente
Vi compulsa modis torqueri numina miris,
Non audire preces, non reddere vota petenti.
Dant etiam sonitum, et laxis compagibus ultra
Ad terram prona volvuntur maxima clade
Templa, trahuntque gravi labentes pondere

[moles,

Infames aras et inania signa deorum.
Obruta nec stabunt iterum, sed carduus alte
In medio lapidum rarus consurget acervo,
Squamatus et serpens tractus sinuabit inultos.
Sedibus interea ex illis se proripit amens
Impietas, turba scelerum comitata sequace,
Dilaniansque genas turbatosque ungue capillos
Respectat procul effusas tremefacta ruinas.
Ergo nil potis everso succurrere regno
Rex erebi, veluti correptus turbine caeco,
Fertur in abruptum, tellus ubi vasta dehiscit,
Atque lacus secum in nigros socia agmina

[ductat.

Illic in rapido flamarum vortice, et inter
Horrisonos luctus et perpetuos ululatus,
Securo vix esse licet: quin ille, ubi Iesu
Invisum insonuit Nomen, quatit atra catena
Membra gravi, et sese latebrosa condit abyssu,
Qua caliganti densantur nocte tenebrae.

DE GULIELMO MASSAIA¹

Abyssinia extorrem Deus Romam deduxit, ubi eum insignia manebant, quibus Ecclesia strenuos suos decorat milites, scilicet Purpuratorum Patrum honores.

Leo XIII, qui plurimi virtutes ac merita faciebat Massaiae, illum Archiepiscopum tit. Staupolianum creavit, deinde, anno MDCCCLXXXIV, in Sacrum Senatum cooptavit. Purpura ornatus, franciscale sagulum non est aspernatus, atque in Capulatorum fratrum coenobium Tusculanum secessit. Modicissimum domicilium constabat ex tribus cubiculis, unum lectulo, alterum aediculae, tertium litteris conscribendis et adventantibus audiendis sepositum, quae hodie asservantur in Museum Massaianum conversa. Heic praeclarissimi quique clericalis et laicallis Ordinis viri excepti, qui tantam admirabantur modestiam. Heic, iussu Leonis XIII, conscribendis navavit operam commentariis suis, quibus titulus: *Labores per XXXV annos apud Aethiopes exulantati*, germanum praebentibus specimen fidei ac sapientiae, et omnibus, qui Abyssinis rebus student, perutilia: uberem enim suppeditant segetem temporum, cognitionum, locorum.

Tribus postremis vitae mortalis annis increvere valetudinis incomoda, aerumnarum Missionarium residua.

Quamobrem Aloysi Amirante invitatu, devotissimi amici sui, in oppidum S. Georgii ad Cremanum prope Neapolim se contulit. Amicus, eiusque familiares, hospitem summo exceptum honore quam maximis prosequuti sunt curationibus; at supremus Nostro imminebat dies! Subito eum defecere cordis vires, quibus reparandis prorsus inutiles fuere hospitum cura ac me-

dicorum artes: summa cum pietate, Sanctis Ecclesiae Sacramentis rite perceptis, hora sexta diei sextae Aug. m. a. MDCCCLXXXIX generosum Deo spiritum reddidit.

Tanti viri obitus maximo omnes dolore affecit. Corpus eius Romam, iusu Leonis XIII P. M., translatum et sepulcro Congregationis Fidei Propagandae ad Campum Veranum conditum. Extremo tempore expetierat Massaia ad aediculam Tusculani Coenobii sepeliri, strepitum mundi et pompam huius aetatis fastidiens. Hac Purpurati Patris voluntate cognita, libenter annuit Pontifex ut Massaiae corpus ab agro Verano Tusculum trasferretur et prope aediculam Patrum Capulatorum rediceretur. Super sepulcro nobile monumen tum, egregium a Caesare Aureli eximio artificio exactum est, qui Massaiam marmore effinxit, tenui sedentem sella Capulatorum veste indutum, venerando adspectu, individuo ad latus baculo, calamo pree manus, volumine ad alterum latus deposito: quod die XII mens. Octobris an. MDCCXCII dedicatum est.

Ad Massaiae sepulcrum mox accesse frequentes piique viri cultores. Memorandi in primis sunt Legati Aethiopes, quibus praerat Regulus Makonnen, legatio Ducus Masciasia, altera publica legatio Aethiopica, Principe Gettaciu Praeside, quem sequebatur Mangascia Nubie, qui hodie legatus Aethiopum cum mandatis est apud Italorum Regem, deinde ipse Taphari Makonnen, Imperii Aethiopici heres, hodie asservantur Mangascia cum sociis.

Tantus autem amor atque admiratio, quae post se abeuntem reliquerat Noster, effecere ut centesimus ab obitu anniversarius dies digne commemoraretur, non Tusculi tantum, sed et ubi singularis aliqua recordatio viri maneret. Itaque in aede paroeciali, ubi sacro baptimate ablatus olim Massaia fuerat, alterum monu-

¹ Cfr. fasc. sup. mens. Iulii.

mentum erectum est, Aureli ipso opifice, lapisque commemorativus superpositus paterna domui ubi primam lucem vidit. Aliae duae habitae eodem anno MCMXIX commemorationes sunt totidem marmoreis erectis monumentis, altero in Ciliani oppido, ubi primitus litavit, altero in Coenobio S. Mariae ad Agros, prope Augustam Taurinorum, ubi franciscalem tironem agere coepit, Deoque se perpetuo dicavit. Interim Museum Massaianum aptabatur in cubiculis Tusculani Coenobii, olim ut diximus, Nostri domicilio, in quae omnia conferrentur, quae ad Virum, ad Sacerdotem, ad Missionarium spectarent, nec non dona, et Insignia, quibus ab Imperatoribus, Regibus aliisque fuerat Principibus muneratus. Denique maximus tributus est Massaiae publicus honor, herma scilicet posito Romae in Colle Pincio, sede recordandis ac celebrandis Romae atque Italiae eximiis viris sacrata. Eadem die ix mens. Maii MCMXXIX, qua herma hoc ex albo marmore gravem at cogitatitudinem Purpurati Patris vultum paeferens, a Supremo Romanae Urbis Magistratu, Francisco ex Principibus Boncompagni Ludovisi, et frequentissimo optimatum et omnium ordinum civium spectante coetu dicabantur, sub meridiem in magna aula spectaculis habendis Tusculi solemnissima Massaiae habita memoratio est; cui interfuerunt Purpurati Patres, Regales administrari, Praesules, Magistratus, optimates, innumerique cives. Favere Summus Pontifex Pius XI, Italorum Rex, Administrorum Princeps Musolinus, Aethiopum Imperator Tapphari, Princeps Italici regni heres, atque Aprutiorum Dux.

Romae exemplum sequuta Augusta Taurinorum est, quam sibi Massaia adoptaverat patriam: coetus catholicis rebus procurandis ibi quoque solemnem iubebat commemorationem, in qua Segusinus Praesul Humbertus Rossi miris extulit laudibus Franciscalem Apostolum, sum-

matim attingens, quae miranda is, apud Aethiopes gessisset, et aeneum herma in Monte Capucinorum statuebat, subiecta inscriptione, a Paulo Boselli, Conscriptorum Patrum Nestore, exarata.

Imperator denique Aethiopum, probe conscientius quam bene de gente Abyssina meritus fuerit impiger Massaia, memoriam decrevit eius decorandam maximis Imperii insignibus, Magno Cingulo Stellae Aethiopicae, cum descripta membrana, nec non aureo Numismate suae Coronationis memorativo, alisque Imperii aureis numismatibus in Tusculano servandis Museo, ubi pariter deposita sunt insignia Colonialis Stellae Italicae ab Italico gubernio tum decreta.

Haec, breviter attigimus, ad evulgandum omnibus quisnam fuerit tantus ille saeculi xix Christi apud Africanas gentes Praeco; concludimus omne, quod iam protulerat R.P. Hiacynthus a Troina, a secretis privatis eius: « Nullus alias, — ita ille — praeter me, qui plures sum annos cum viro diversatus, magis valuit paeclaras animi et ingenii eius virtutes noscere eiusque spiritus celsitudinem ac sanctimoniam.

« Post tot honores eidem iure meritoque tributos, alios quoque ominamus et nobis et quotquot ei adhaesere inter mortales degenti, scilicet Beatorum in terris honores. Et spero fore ut, sicut Deus illum gloria aeterna munerauit in caelis, ita honoribus quoque Caelitum apud terrigenas decoret ».

P. FERDINANDUS AB AVILLANA, C.

-
- Ad duo festinans, neutrum bene peregeris.
 - Arcum intensio frangit, animum remissio.
 - Bis vincit, qui se vincit in victoria.
 - Dies quandoque noverca, quandoque estparens,
 - Duplicatur bonitas, simul accessit celeritas,

EX PUBLICO SYRO.

COMMUNIA VITAE

His diebus prodiit tandem editio altera eaque locupletior, phrasum et formula- rum ad latina colloquia instituenda, quas Commentarii nostri Moderator, Dr. Iosephus Fornari, colligit.

Quo socii et lectores totius rei rationem percipient, integrum operis paefactionem hic referimus:

Ut morem gererem pluribus, qui a me fasciculos, sub titulo Communia vitae, phrases et formulas complectentes ad latina colloquia instituenda, abhinc annos aliquot editos ac brevi venditos, repete- bant, eos, passim amplificatos, in volu- men hoc unum redigi.

Rerum conceptum et ordinem fere immutatos servavi; scilicet, quum homi- nes duos inter se colloquentes effinxisse- sem, a salute data et redditu initium duxi; deinde percontationem de valetu- dine posui cum morborum medicamen- torumque notionem. Tum ad officia proce- dens (sumpto huius verbi sensu tamquam « congruo actu uniuscuiusque personae eo, in quod quisque debet incumberre, ut ipsum pro loci, temporis, et personae qua- litate reddat effectum »),¹ sequitur petitio facultatis rogandi, exorandi. Sciscitatur alter quid sua opera opus sit; auxiliū alter invocat et tum gratum animum suum, tum Superum beneficī remune- rationem profitetur. Instat alter cur ipse adiutor fuerit delectus et ad quam rem; alter dicere non audet, neque vult esse molestus; sed tandem, animos recipiens, commendationem, qua indiget, efflagitat.

Additur querela de crudelissimo adver- sario, in quem defensio imploratur. Pro- mittit alter sese ad extremum usque amicum sustenturum; interim rem ani-

mo ponderaturum; deinde rationes agendi in discrimine suggesta.

Sed et lites existant; consultum itaque petitur et patrocinium; utrumque con- ceditur, quamquam et difficultates mi- nime occultantur.

Post lites, in medium ponuntur accep- ta convicia. In mentem revocatur iniuriarum memoriam tolli atque deleri oportere, timo voluntaria oblivione conterere, iustumque consilium esse quod in pacem vergit, idque et cum dignitate convenire.

Fieri autem nonnunquam potest ut nostra sententia ab aliorum sententia discrepet, quamvis animorum sit con- sensus: controversia transigenda est, licet interdum spei et exspectationi exitus non respondeat.

Sed animi sollicitudo anxia magis esse potest quum alicuius dilecti nostri bene- volentiam amiserimus sive nostra, sive aliorum causa; eo magis animo libenti prolixoque in reconciliationem opera no- stra conferenda est.

Aliud officium, idque laudabile non minus, erit quum ipsum in hominem vertamus, cui negotia vel male omnino cesserint, vel in id discriminis, ex quo ille nullum exitum inveniat praeterquam quod mensarias rationes creditoribus renunciet, vel, perdita quavis auctoritate facultatis rogandi, exorandi. Sciscitatur alter quid sua opera opus sit; auxiliū alter invocat et tum gratum animum suum, tum Superum beneficī remune- rationem profitetur. Instat alter cur ipse adiutor fuerit delectus et ad quam rem;

alter dicere non audet, neque vult esse molestus; sed tandem, animos recipiens, commendationem, qua indiget, efflagitat.

Neque recusabimus improviso illi, qui lusus aleam quum tentaverit, in magnum aes alienum inciderit. Resistere quidem tum convenient; at quum videamus alterum ad tales incitas redactum, ut homo infamis fiat, ne ei consilia saltem denegemus de debiti solutione, atque ad eius dignitatem servandam incolu- mem.

Pariter quum simus rogati de impo-

¹ FORCELLINI, Lexic, voc. *Officium*.

sitorum vectigantium — et quot hodie sunt vectigalium generali — revocatione impenetranda, certiores facti de eorum iniqua appositione, ne abnuamus.

Postremum habetur de morte argumentum. Est aliquis tristis admodum; postulamus moestitiae causam; accipimus doloris plurimum ex luctu hausisse; miseremur, petimus atque ediscimus quod mortis genus, et quibus cum circumstantiis intercesserit. Hinc pronus sermo ad percontandum de defuncti testamento, itemque circa heredem, bona, hereditatis procuratorem, honores mortuo celebratos, et num ex ratione aliqua tutor heredi sit attributus; denique de assis hereditarii divisione et cretione.

Tota res clauditur cum querelis in adversam fortunam; quae quidem, merito an immerito non dicam, sunt omnibus et in omnibus communes!

Tu vero, candide lector, bonam voluntatem, qua haec tibi comparavi, tantum respiciens, valeas, tuisque rebus te serva secundis!

Premium voluminis est libellarum italiacarum 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

SCIENTIAE PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

NOTAE.

DE VORTICUM DOCTRINA.

Quaestiones alias circa vortices agrediens, initium feci a studio proprietatum, quibus gaudet functio praevia Green in suo polo. Haec autem applicari potest motui vorticis rectolineari in praesentia parietis

cylindricae, ex quo deducitur trajectoram vorticis lineam esse livelli illius functionis.

Sed et demonstrari potest quaedam proprietas energetica motus illius, quae sic enunciatur: energia cymatica fluxus qui intercedit inter parietem et parvam circumferentiam constantis radii, cuius centrum in trajectum vorticis sit, constans est.

Datur etiam quaedam relatio reciprocitatis.

Denique motus vorticis talis est, per quem actiones dynamicae, quas paries patitur, resultantiam nullam habent.

ARNALDUS MASOTTI.

DE UNITATIBUS IN MENSURIS MAGNETICIS.

Inter ea quibus studuit «Coetus Electrotechnicus Internationalis» in ultima sessione Stoccolmae habita, proposta sunt quaedam nomina pro mensuris magneticas; ut

Oersted: pro unitate intensitatis campi magnetici.

Gauss: pro unitate inductionis magneticae.

Maxwell: pro unitate fluxus magnetici.

Gilbert: pro unitate vis magnetomotricis.

Quae vero ut unitates practicae adhucientur eamdem servabunt denominacionem, sed praemissa particula *pra;* sic: *pramaxwell* et similia.

Sed non omnia quae proposta facile ab omnibus accipiuntur, et iure examini subiiciuntur. Sic Andrea Blondel in *Revue générale d'électricité* non pauca proposuit consideranda, et Coetus Electrotechnicus Statuum Foederatorum nonnulla suggerit, quae argumentum disputationis erunt in proximo conventu Londini habendo.

Nuper Prof. A. E. Kennelly, qui praeverit huic conventui, proposuit et ipse rationem

quandam equidimensionalem ad tollendam diversitatem inter formulas dimensionales earumdem quantitatum pro systemate electrostatico et systemate electromagnetico absoluto.

Iuxta doctrinam Maxwellianam valores constantis dielectricae et permeabilitatis magneticae ligantur per eorum productus, cuius quadrata radix aequat valorem reciprocum velocitati lucis. Hinc possent utriusque assignari eadem dimensiones, nempe dimensiones reciprocae velocitatis et habentur valores qui medium arithmeticam aequalent.

Ut appareat, quaestio nondum soluta est. Unaquaque ratio suas habet virtutes, suosque defectus. Quae Kennelly proponit si facilitati consulti, perspicuitati officit. Nec videre est unde optimum. sistema sumendum sit quadusque intimius in natum electromagneticam perspicere potuerimus.

ALOYSIUS LOMBARDI.

DE DOCTRINA CIRCA METAMORPHOSEON PLANTARUM.

Quum de doctrina circa metamorphoseon plantarum agitur, solent antores assignare primaevam propositionem doctrinae circa initium saeculi XVIII a Wolf et Goethe inventam. Rarius aliquis innuit A. Caesalpino.

Sed existimo nullo modo silentio praeterreundum esse celeberrimum Swammerdam, qui iam ab anno millesimo sexcentesimo sexagesimo nono rationem claram proposuit delineando metamorphoseon quinque insectorum specierum, simul et ranae, et haec cum metamorphosi alicuius Cariofilli comparando.

Operae pretium duco iterum in lucem prodere tabulam a Swammerdam delineatam, in qua metamorphoseon ranae cum Cariofilli simul comparatur. Haec in *Act. Pont. Ac. Sc. vulgabitur.*

ANTONIUS NEVIANI.

DE QUADAM ADRIATICI MARIS NATURA.

Quod italice *Mare sporco*, germanice vero *Seeschleim* vocatur, est quaedam natura haud rara maris Adriatici, quae plerumque sub fine Mensis Iulii usque ad finem Augusti monstratur.

Maris superficies innumeris laciniis eiusdem substantiae sicut pituitae cooperatur, cum quibus et permulta diatomacearum frustula et magnum luti pondus permixta sunt.

Phoenomenon hoc initium habet in fundo maris; secundo tempore pituitae ad superficiem veniunt, tertio ad fundum descendunt.

Natura haec permagnas proportiones interdum sumit et est valde infesta pescatoribus.

En quomodo res explicatur. Diatomaceae (algae unicellularares microscopicae valvis silicicis praeditae) in fundo maris viventes, praesertim ubi, e fluminibus et aquae cursu, magna pars luti pinguis, seu substantia organica pleni, adunatur, aestatis tempore, supervenientibus pluviosis copiosis, quae maris salsidinem mitigant, prodigiosamente multiplicantur.

Permulta Diatomacearum species hanc habent proprietatem, emitti nempe per foramina quaedam, seu poros valvarum silicearum, pituitam quamdam, seu massam gelineam in qua vivunt et multiplicantur.

Ut productus respirationis istarum algarum bullae aereae evolvuntur, quae, quum certam quantitatem sint adeptae, hydrostatim munere functae, massas ipsas gelineas de fundo, cui haerebant, abripunt.

Quando suo pondere magna pars luti decidit, massae gelineae, laeviores factae, hydrostatorum vi, ad superficiem veniuntur.

Sirsky et Castracane primi huius naturae veram explicationem dederunt.

Nonnulli alii Auctores alias explicationes magis multiplices nuper attulerunt.

Ego vero animadvertis naturam hanc non tantum in mari fieri, sed etiam ubique Diatomaceae vivunt; itidem in hortorum piscinis. Ibi varias et crebras observationes facere potui, ex quibus clare demonstratur ascensionem massarum gelinarum a bullis aëris calore dilatatis, unice repeti; earum vero descensionem ad fundum, quando bullae, frigore superveniente, restringuntur, vel alias evanescunt, evenire.

Opinor substantiam illam gelineam albo luridam, multis repletam Diatomacearum frustulis, ad inferiorem faciem laminarum glaciei maria artica cooperientium adhaerentem, eiusdem esse naturae.

VITUS ZANON.

DE OPERE PATRIS GRIMALDI S. I.
(1615-1663).

In insigni expositione controversiae saec. XVII exortae inter sectatores doctrinae newtoniane de emissione lucis et sectatores doctrinae undulatoriae Huyghens, P. Angelus Secchi — in opere *L'Unità delle forze fisiche* — sapienter illustravit participationem vere singularem (sed generatim parum notam), quam in illa disputatione habuit P. Grimaldi, *Physicae Lector* in Universitate Bononiensi.

Ipse revera aestimandus est praecursor doctrinae undulatoriae, quia iam multis annis ante Huyghensem principium a fonte illius doctrinae exposuit in opere cui titulus: *Physicomathesis de lumine*, Bononiae edito a. 1665: nempe quod lux consideranda est non ut emanatio corpusculorum materialium, sed ut fluidum in motu, seipsum propagans «sub formis undarum» (sic) in vacuo et in media perlucidis.

Ad istam assertionem probandum, perpendit duas experientias magni momenti a seipso excogitatas: quarum prima considerari potest sicut experimentalis confirmationis principii ab eo inventi, quod cum

principio interferentiae connectitur; i. e. « Lux luci addita potest, in datis circumstantiis, obscuritatem producere ». Secunda vero est probatio facti — ante p. Grimaldi ignoti — quod *propagatio rectilinea lucis rigida non est*; inflectionem subit quam ipse *diffractionem* dicit, statim ac, ambitum corporum tangens, conum umbrae post ipsa existentem pervadit.

Experientiae primariae P. Grimaldi sunt faciles et certi successus, nec instrumenta complexa requirunt. Iteratae fuerunt sub variis formis, inter quas illa quae refertur ad principium interferentiae perfecta fuit post multos annos a Thoma Young (1773-1820), sub nota forma aliquantulum a Grimaldiana diversa.

Experientia quae ad diffractionem spectat, repetitur hodie modo a P. Grimaldi indicato, et eodem modo obtinent experientiae ad figuram diffractionis se referentes; et cum acubus vel diversi diametri filis peractae.

Praestantia et gravitas harum inventionum Patris Grimaldi colligitur etiam ex eo quod nunc certum habetur, ipsum scilicet, ante Newton, celebrem experientiam prismatica decompositionis lucis albæ perfecisse.

Itaque liber P. Secchi et inventa P. Grimaldi commendanda sunt, tum ob « didacticum » et « scientificum » earum momentum, tum ad extollenda opera duorum illustrium scientiae cultorum, qui tam bene commendarunt sive religiosum Ordinem cuius fuerunt sodales, sive patriam italicam.

JOSEPH VANNI.

NOTITIAE.

A. A. MICHELSON.

Die nona mensis Maii huius anni 1931 e vivis defecit Dr. A. A. Michelson, Professor Physicae in Universitate Chicagensi, peritissimus inter physicos in phae-

nomenis opticis inquirendis et mensurandis.

Ortus in Strelin, Polonica regione, die undevigesima mens. Decembbris 1852, bimus a parentibus in Americam ductus est. Studiis operam dedit in urbe Sancti Francisci et gradus obtinuit in Academia navali anno 1873. Anno 1880 petit Europam et animum excoluit Berolini, Heidelbergae, et Parisiis. In Americam reversus anno 1883, docuit in urbe Cleveland usque ad annum 1892, quum Chicaginensi Studiorum Universitate instituta, in eadem professus est usque ad annum 1929; deinde Pasadenam migravit, ibique mansit, ut mensuras velocitatis lucis persequeretur.

Iam ab anno 1887 simul cum Morley inquisivit in transvectionem aetheris per motum terrae, quae quum ex experimento nulla esse apparuerit, causa fuit ut Lorentz suam doctrinam produceret contractionis in corporibus motu praeditis, et ut Einstein prius in doctrinam « relativitatis » ingrederetur.

« Interferometrum », quod prius in illis experimentis adhibitum est, perfectiones ulteriores accepit et validissimum evasit instrumentum ut metri longitudi per undas mensuraretur, et expansio lucis striarum, et diametrum stellarum.

Mensuranda propagationis lucis velocitati ultimo vitae decennio incubuit, maximum praecisionem pertingere cupiens. Anno 1924, in Conventu Mathematicorum Toronti habito, primos exitus patefecit; dein diligentiores mensuras, anno 1926, protulit; sed sunt et ulteriores inquisitiones ab ipso perfectae, quas in lucem quam primum prodituras sperandum est.

I. GIANFRANCESCHI.

JAMES CLERK MAXWELL (1831-1879).

Expletus recens est centesimus annus ab ortu James Clerk Maxwell, qui natus est Edemburgi die 13 Iunii 1831.

Pluribus in locis festivae caeremoniae ad memoriam tanti viri celebrandam parantur. Pontificia Academia Scientiarum libenti animo in idem consilium venit.

Non est cur in memoriam revocemus praeclera in rebus physicis merita auctoris *Treatise on Electricity and Magnetismus*, et conditoris doctrinae electromagneticae, sed iuvat Eius virtutes, fidem praecipue et pietatem recolere.

Qui, christiani nominis non veritus, Christianorum etiam virtutum illustre exemplar exstitit, et morti proximus, simul cum professione fidei, laetus animi sensus Creatori Suo pandebat illis versiculis, qui tanta spe et amore redundant;

*Lord it belong not to my care
whether I die or live
To love and serve Thee is my share
And that Thy grace must give.*

I. GIANFRANCESCHI.

DE MENSURIS GRAVIMETRICIS IN INDIIS HOLLANDICIS ET DE RESULTATUM DISQUISITIONE.

Nota dignum putamus quae F. A. Vening Meinesz de mensuris gravimetricis in Arcipelago Sonda et in sinu Mexicano retulit apud Regiam Academiam Hollandicam. Anomaliae gravimetricae, quae detectae sunt, et prius saltuariae apparebant, nunc revelantur ut constanter distributae per lineas arcuatæ. Haec autem distributio hypothesim praebet, quae minime despicienda videtur.

Terrae continentales sese portendunt lineam aequatorialem versus. Haec autem productio fracturas provocat post se; hinc diminutio gravitatis in concavo illarum linearum. Quod confirmari videtur ex eo quod in ipso cavo facile inveniuntur vulcani, qui e contra desunt in parte convexa. Iuxta eundem auctorem ipsae deformations rationem reddunt pro saecularibus magnetismi terrestris variationibus.

TENANI.

ROMA SACRA

Sanctissimi D. N. Pii divina Providentia Papae XI epistola Encyclica de asperrimo rei oeconomiae discrimine, de lamentabili apud multos operum vacatione deque crescenti apparatus militaris studio.

Nova impendet in concreditum Nobis grem iamque premit calamitas, acris quidem tenuorem partem angens, quam Nos peculiari caritate complectimur, pueritiam nempe, proletariam plebem, opifices eosque omnes, qui rei familiaris copia non afflunt. De gravissimis loquimur angustiis reique oeconomiae discrimine, quae populos afficiunt quaeque in regionibus omnibus ad formidolosam compellunt multos atque increbrescentem ad operibus vacationem. Etenim videre est ad inertiam coactum atque adeo ad extremam usque indigentiam, una cum subole cuiusque sua, paene infinitum honestorum artificum numerum, qui nihil magis discipiunt quam ut honorate sibi panem comparare queant, quem cotidie a caelesti Patre, ex divino mandato, comprecantur. Tangunt equidem animum nostrum eorum gemitus, Nosque eadem miseratione commotos illum iubent iterare questum, ex amantissimo Divini Magistri Corde coram hominum concursu fame languentium prolatum: « Misereor super turbam ». ¹

At vehementior commiseratio Nostra illam spectat puerorum multitudinem, qui panem complorantes « dum non erat qui frangeret eis » ² tristissimarum rerum condicionum onus innocenter ferunt, ac miseria squalentes, suae insitam aetati deflorescere iucunditatem conspiciunt ac nativum sentiunt in tenellis labiis risum languescere atque emori, quibus inscius ipsorum animus circumfundi exoptat.

¹ MARC., VIII, 2.

² IER., Thren., IV, 4.

Cum vero hiems iam appetat, eius procul dubio consecutae sunt comites, molestiae scilicet, aerumnæ, inopia, quas tenuioribus ac miseris frigida ferunt tempora: ac timendum praeterea est ne, quod supra deprecatus sumus, ab operibus vacationis ulcus usque adhuc ingravescat, ut non provisa inopum familiarum penuria, eas — quod Deus averat — ad irritationem adducat. Haec omnia trepidans perpendit communis Patris animus; ideoque, quemadmodum Decessores Nostri, ac praeceps proximus Decessor Noster p. r. Benedictus XV, vocem attolentes Nostram, eos omnes enixe adhortamur, quos penes fides viget ac christiana caritas; quae nimur invitatio Nostra eo intendit ut omnes ad piam quamdam moveat amoris ferendaeque opis contentionem. Sacra eiusmodi contentio et corporis necessitatibus prospicit et animos profecto erigit, fidem eorum excitans ac roborans eaque depellens e mentibus funestissima consilia, quae male suadens egestas ingerere solet. Invidiarum simultatumque igniculos, quae seiungunt inter se cives, valide compescet, easque vigere iubebit cordiae caritatisque flamas, quae nobile alunt ac promovent pacis prosperitatisque vinculum, quibus quidem singuli Civitatesque fruantur.

Ad hanc igitur pietatis caritatisque contentionem, quae pro certo se devovendi studium in pauperum commodum prae se fert, omnes advocamus caelestis unius Patris filios, innumeros eiusdem familiae socios ideoque omnes in Christo fratres, cum prosperitatis ac solaci, tum aerumnæ ac doloris itidem participes. Ad hanc dicimus pientissimam contentionem adhortamur omnes tamquam ad sacrum officium quod peculiari illa innititur evangelicae doctrinae norma, praecepto scilicet caritatis, quod Christus Dominus suum praedicavit primum et maximum mandatum ac ceterorum praescriptorum omnium quasi summam atque compendiariam legem. Quod quidem mandatum proximus Decessor Noster desideratissimus, saeviente tunc temporis

fere ubique bello grassantibusque simultibus iterum atque iterum tantopere commendavit, suumque veluti insigne fecit totius pontificatus.

Nos itaque ad suavissimum istiusmodi praeceptum, non modo tamquam ad supremum officium, in quo universa continetur christiana lex, sed ad nobilissimum etiam propositum atque institutum commonemus omnes, eosque potissimum, qui humanitatis ardore fervent et evangelicae perfectionis. At multis instare verbis idque impensis urgere supervacaneum putamus, cum omnibus exploratum sit hanc tantummodo animorum liberalitatem atque magnitudinem, hoc solummodo christiana virtutis studium aemulacioneque — eorum videlicet qui, pro facultate cuiusque sua, fratrum saluti actuosissime se dedant, imprimisque tenuum infantium ac pauperiorum necessitatibus — gravissima aliquando posse nostrae huius aetatis incommoda instanter concorditerque evincere.

Iamvero, cum asperrimum, quod lamentatur, malorum discriben hinc acriorem consequatur populorum rivalitatem, illinc vero ingentia gignat publici aerarii dispendia; atque adeo cum non postrema sit duplicitis huius perniciei caussa nimium illud in apparatu militari ac bellicis instrumentis praemoliendis acris in dies certamen, Nos quidem tempreare Nobis non possumus quin providam hac de re Nostram ¹ eiusdemque Decessoris Nostri ² admonitionem iteremus, dolentes admodum quod usque adhuc non in usum eadem feliciter deducta sit; vosque item, Venerabiles Fratres, vehementer adhortemur ut aptiore, quo poteritis, modo, sacris nimur concionibus habendis edendisque vulgo scriptis mentes collustretis omnium eorumque animos ad tutiores humanae rationis christianaæque legis normas conformetis.

Atque iam Nobis spes bona arridet fore

¹ Alloc. die 24 dec. 1930 habita; Litt. Aut. « Con vivo piacere », 7 apr. 1922.

² Adhortatio « Dès le début », 1 aug. 1917.

ut apud unumquemque vestrum et corrogata confluat a fidelibus stipis in indigentium auxilium, et a vobis itidem iisdem relevandis impendatur. Quodsi in nonnullis dioecesibus opportunius videatur id munus vel Metropolitæ concedere vel quibusdam caritatis Institutis, vestrae profecto dignis fidei probataeque efficacitatis, liberum vobis esto, pro prudenti consilio, id exsequi.

Cum vero usque adhuc vos adhortati simus ut mentem hanc Nostram idoneis scriptioribus aperiendo, rem pro viribus provehatis, placet praeterea fideles vestros Nos primum iu visceribus Christi commonefacere ut invitationi huic vestrae ac Nostræ largiter generoseque respondentes, id, quod vos, Encyclicas has Litteras interpretantes, ipsorum animis suasuri eritis, ad usum continenter deducant.

Attamen, quandoquidem omnes, vel nobilissimi, hominum nisus, non opitulante Deo, impares evadunt, ad bonorum omnium Largitorem instantes admoveamus preces ut, pro summa miseratione sua, quam primum feliciora iubeat emergere tempora; ab eoque, esurientum quoque nomine, divina illa a Iesu Christo data prece efflagitemus: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie ». Reminiscentur omnes quod humani generis Redemptor ad incitamentum ac solacium nostrum pollicitus est, se scilicet quod fecerimus « uni ex his fratribus minimis » sibi factum autematurum ¹ neque divinam illam obliviscantur repromissionem, qua ipse asseveravit curam se eam, quam parvulis suo amore ducti impensuri fuerimus, sibimet ipsi praestitam existimaturum. ²

Festum denique, quod hodie Ecclesia celebra, dulcissima illa Iesu Christi verba in memoriam redigit Nostram, quibus Encyclicas has Litteras hortationesque Nostras concludimus; postquam videlicet Servator noster,

¹ MATTH., XXV, 40.


² MATTH., XVIII, 5.

³ MATTH., XVIII, 10.

secundum illud S. Ioannis Chysostomi, in puerilium animorum tutelam veluti in pugnabilia extulit propugnacula, hanc nobis edidit sententiam: «Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est». ³ Hi profecto angeli quae in puerorum et indigentium adiumentum volenti generosoque animo feceritis, haec terrarum caelorumque Domino offerent, ab eoque uberrima iis omnibus impetrabunt munera, quibus sanctissima huiusmodi causa cordi erit. Adventantibus praeterea Iesu Christi Regis sollemnibus, cuius regnum et pacem iam ab inito Pontificatu ominati ac comprehensi sumus, omnino Nobis opportunum videatur ut in sacris aedibus per id tempus publicae habeantur in triduum supplications, per quas quidem a misericordiarum Domino consilia implorentur ac munera pacis. Quorum in auspicio munerum vobis, Venerabiles Fratres, iisque singulis universis, qui paternae respondebunt admonitioni Nostrae, Apostolicae Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die II mensis Octobris, in festo SS. Angelorum Custodum, anno MDCCCCXXXI, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XI



ANNALES

Nationum societas.

Genevae habitus est decimus secundus Societatis Nationum conventus, cui congregatio praecessit tum Supremi eiusdem Societatis Consilii, tum Europeae, uti vulgo nuncupatur, Commissionis. Peculiaris nota digna fuit oratio italicici administri, Grandi, qui necessitatem repetivit ad primum Societatis Nationum foedus redeundi, quod

pactio Kelloghiana anni MCMXXVIII perfectum de futuris bellis omnino vitandis, satis est ad constituentiam inter foederatas nationes fidei pacisque consensionem et pignus. Foedus armorum depositionem iubet: Grandius auctor est, ut antequam huiusmodi argumentum suo tempore pertractetur, atque re tandem definiatur, foederatae Nationes sese vicissim interim obligent ne ad ulteriores belli apparatus quomodocumque sint processurae.

Rogatio, cui Anglicus et Germanicus legatus ex animo assensere, pariterque Danus, Norvegus, Batavus, Sueticus et Helveticus, qui de re mentionem protulere, ad viros, ut proprium de armorum dependentis conventum comparatur essent electos, delata est.

Eventus alter huius Societatis Nationum sessionis, a quo omnes quasi animalevationem habuere, nuntium fuit ab Austriaco et Germanico legato datum, utramque civitatem, post non favorablem sententiam ab Hagensi tribunal latam, missum fecisse consilii suis circa peculiarem pactionem de vectigalibus inter se ineundam.

Sed vix conventu dimisso, en praesens Societatis Nationum necessaria intercessio. Die enim XVIII mens. Septembbris Iaponica agmina, post pugnam per integrum noctem productam, Sinensi urbe Mukden eiusque armamentario potiuntur, ad iniurias ulciendas in Mandchuria et Coreana regione iam ab aliquo tempore Iaponiis a Sinensis illatas. Utriusque partis legatis auditis, Nationum Societas moderationem hodie, ac pacta infra breve tempus fierienda vehementer commendavit; eoque magis quod Iaponicum gubernium professum sit, sese minime ad militarem occupationem intendere; immo vero promptum paratumque esse ad milites suos revocandos, dummodo Iaponi cives, in illis regionibus viventes, a periculis et insidiis Sinensium revera protegantur.


Austriaci motus.

In Austriaca republica prompte atque omnino compressa est seditio hic illic, atque praesertim in Styria, exorta, Pfriemer doctoris opera, qui administratorum collegio et civitatis Praesidi summo dictatore suffici debere contendebat. Nihil acto, seditionis principes, inter quos Pfriemer ipse, se in fugam coniecerunt; nonnulli vero, et in his Starhemberg dynasta, in vincula detrusi sunt.

Hispanicae res.

Publicus Hispanicus coetus rei publicae novis legibus constituendis electus, lente disceptationes suas persequitur. Primus novorum institutorum articulus ita est descriptus: «Hispania est respublica popularis ex omni ordine fabrorum, regimini libertatis et iustitiae informata. Omnium membrorum eius potestas in populo resident. Hispanica Respublica integrum Statum efficit, quem tamen Municipiis et Regionibus eius concedi possit, ut suis legibus utantur».

POPULICOLA.



VARIA

Americae inventio.¹

Posteaquam hunc ad locum meorum me commentariorum cursus produxit, non alienum esse arbitror, quod eius rei omnium, quas ulla aetas unquam ab homi-

¹ EX PETRI BEMBI, *Historia veneta*, lib. VI.

nibus effectas vidi, maximae atque pulcherrimae fuerit initium: tum quae terrarum portio: post id, quaeve gentes et quibus moribus sint repertae, quantum suscepti operis ratio permittet, breviter dicere.

Erat Columbus, homo Ligur, ingenio peracri, qui multas emensus regiones, multum maris et Oceani perlustraverat. Is, ut est humanus animus novarum rerum appetens, Ferdinando et Isabellae Hispaniae regibus proponit, edocetque illud, quod omnis fere antiquitas credit, quinque esse caeli partes, quarum media caloribus, extremae due frigoribus sic afficiantur, ut quae sub illis sint totidem terrae plagae, incoli ab hominibus non possint; due tantum inter eas sub eisdem positae caeli partibus possint: inanem esse antiquorum hominum fabulam et nullis veris rationibus fultam et confirmatam descriptionem. Improvidum prope necesse esse haberi Deum, si ita mundum sit fabricatus, ut longe maior terrarum pars propter nimiam intemperiem hominibus vacua, nullum ex sese usum praebeat. Globum esse terrae hunc eiusmodi, ut comeandi per omnes eius partes facultas hominibus ne desit. Cur sub media caeli conversione degi non possit, ubi diei calor cum noctis frigore pari dimenso utriusque morae spatio temperetur, praesertim quum tam cito sol in alterutram declinet partem? Quumque sub iis caeli conversionibus, in quibus nostro vertici propior longinquam sol moram trahit, tamen degatur? Algentes sub septentrionalibus esse terras, sed eas hominibus non defici, sic sub australi terras esse frigidas vertice, esse animantium atque hominum genus. Quem Oceanum scriptores appellant, eum non esse inertis magnitudinis, sed insulis atque terris scatere, quas homines inhabitent: itaque vigore atque incoli universum globum, qui ubique



* * *

Piscatores.

Quum piscatores, diu multumque defatigati nihil capere potuissent, taedio tandem affecti, perdita opera, tristes domum reverti statuunt. Tum de improviso, Thunus a reliquis piscibus agitatus, saltu in navigium illorum se dedit, quo potiti, cum praeda et laetitia abierte.

Indicat fabula, saepenumero forte fortuna obvenire ea, quae nulla arte ac ratione parari potuerint.

* * *

Locosa.

Tuccius dentibus leniter laborat defletque desperanter.

Cui Mater: — Equidem causam tantam non video, qua tot lacrimas effundas...

Tuccius: — Atqui non dentium dolore manant lacrimae...

— Unde igitur?

— Quia morbus feriatis hisce diebus me occupabit; an non per scholasticum annum me afficere poterat?

* * *

Aenigmata.

I.

Unia quidem sum vox, sed bino gaudeo sensu:
Cristatam galeam reteque signitico.

II.

Partibus ex iunctis, quarum altera vocula,
AISAY [lector,
Altera mons Thracus, garrula constat avis.

Aenigmata in sup*er* fasciculo proposita
his respondent: 1) *Vi-na*; 2) *Iaculum-*
Iaculus.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

9 MAR 40